

culus ex centro: Et Apogeum etiam uariatur. Præterea habet singularia multa repugnantia his quæ dixit in his libris, imò ferè omnia. Ideò manifestū est quod liber non est Ptolemæi, sed alicuius qui quæsiuit lucrum esurientibus astrologis, cum infamia & ruina totius artis. Repugnat legi Christianæ, repugnat bonis moribus, nihil habet cōueniens cū doctrina Ptolemæi. Et quid mea retulisset si fuisset utilis arti saltē, quāuis etiā nō fuisset Ptolemæi, quin illū exposuissem, cum uix sit 18. pars huius libri: Quarè dico cauendū esse ab omnibus alijs libris, nisi quis uelit legere commentaria Hali, & Firmicū ob linguæ candorē, & memoriā uetustatis. Sed tamen nunquā recedat ab hac profunditate sententiæ Ptolemæi: alter seipsum & totam artem uituperabit.

Vt uerò ad rem de morte reuertar: qui moriuntur ex morbo cōtracto, ex casu equi, ut Galeaz Capra, & qui ex timore & similibus causis, habent maleficas ut in morte uiolenta dominātes succedenti loco aut aspicientes &c. Sed procul: ideò talis mors est media inter naturalem & uiolentā. Qui etiā moriuntur ex medici errore, moriuntur ex occulta uiolenta morte, & ideò absq̃ luminariū testimonio. Cognoscit mors naturalis & quæ ab interemptorio loco solum procedit, quia tales subito prostrantur, nec uidetur aliquid prodesse, sed recta ad mortem tendunt. Vbi quādam uideris luctam, tunc est ex genere uiolentæ mortis, uel propter errorem ægri, uel medici, uel astantium, uel epotum uenenum, uel timorem magnum cōceptum, uel collisionem, & talia. Hi igitur qui quasi recta moriunt, & cadit uirtus statim, & nullum auxiliū iuuat, & subito grauantur, sunt quibus Apheta est debilis, & in loco alieno à natura sua, absq̃ testimonio beneficæ uel maleficæ in loco interemptorio, sed solum succedit aut antecedit. Si uerò Apheta ualidus fuerit, aut successerit malefica cōtrariæ qualitatis, fit mors difficilis uel uiolenta.

Si uerò luminaria testificentur absque maleficis loco qualitatis mortis, erit mors splendida, naturalis. Naturalis igitur quietæ & splendidæ habes duo exempla pulcherrima ab Erasmo, in dialogo cui titulus est Funus.

Caput undecimum.

TEXTVS LXXV.

De temporum diuisione.

Narrata à nobis summatim in lingulis generibus contēplanādi ratione, ad eas usq̃ tantum quæ sicut in initio proposuimus uniuersalium partium sunt tractationes. Reliquum sanè fuerit ad eundem modum, quæ etiam in temporibus distinguendis uidere oportet, adiungere, idq̃ & naturæ consentanæ, & nostræ particulari quam proposuimus explicationi.

Hoc caput est perfectio artis, & utilissīma ac præstantissīma totius operis pars. Si enim cognouero me futurū diuitem, inde pauperem, hoc est infelicissimū: Si post paupertatem, diuitem, felicissimū: si semper diuitem mediocre. Igitur cognoscere me futurum diuitem nihil est, nisi cognoscam tempus quando ero. Et ita de morte atque alijs. In eo igitur declarat primum unum generale, quod est.

TEXTVS LXXVI.

Omnino igitur in uniuersis geniturarū capitibus propositū nobis est prius quoddam & antiquius, ueluti Fatum, aut ipsi regioni peculiare, cui reliqua quæ in genituris singulatim explorant subiacere oportet: quemadmodum quæ ad corporis formam & animorum constitutiones attinent, morum item & consuetudinū dissidentia. Itaq̃ par est naturæ obsequentem iudicem primas ubiq̃ potioresq̃ causas comprehendere, ut ne

gg 3 quem